



**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247


Cap. LXI. An effuso innocentium sanguine licitum sit vexationes & molestias Dæmonum, quas certis locis afferunt, redimere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

9. Primum fit, corporibus qualibuscumq; assumptis non prohiberi Spiritus, cur minus molesti esse valeant. Quamuis enim corpora aliquando impediunt, ne ad quosuis accessus pateat, quia tamen illa pro voluntate possunt deponere; si molesti esse volent, corpora delerent; atque molesti erunt, quacumq; libebit ratione.
10. Alterum est, omnino esse verisimile nunquam Spiritus, qui apparent molesti, atq; hominibus, in assumptis corporibus, afferunt, ita suis obiecta sibi cor, or. penetrare, quemadmodum & possunt, & penetrant, quando à corporibus sunt expediti. Penetratio hæc res prodigiosa est. Dei que postulat omnipotentem manum. Quid verò opus prodigiis atq; miraculis in hac Spirituum infestatione?
11. Tertium est, nec illas esse Spirituum, quorumcumq; vires; ut possint in assumptis corporibus obiecta corpora penetrare: quamuis penetrare desiderent, Ut in eodem loco duo corpora reperiantur, quantitas corporum diuersorum non permittit: quocirca quamdiu diuersa duorum corporum manebit quantitas; diuersa etiam illa loca postulabunt. Hoc leges naturæ requirunt.
12. Diuinæ tamen virtuti hic nullas leges volumus esse positas. Atque hoc quartum sit nostrum Assertum. Illa quemadmodum vnū in diuersis locis; ita diuersa corpora vno in loco constitui posse non dubitamus, quicumque in rebus Christianis educati & instituti sumus.
13. Quidni fieri posset, quod identidem factum? Factum in Christi Natiuitate; quando integris Virginis claustris ille in hunc mundum penetravit? Factum in eiusdem resurrectione; quando corpus egressum è sepulchro clauso? Factum mox à resurrectione; quando ad Apostolos ingressus est clausis ianuis? Factum in ascensione; quando vsque ad extremum penetravit cælum?
14. Atque hæc breuiter à nobis asserta sunt, alium illa locum postulant, si pro dignitate essent explicanda. Quod nos hoc Capite conclusum volumus, illud est, ianuis obseratis, conclusisq; & pessulo obductis foribus, contra Spirituum infestationes, tutos atq; securos non esse inelusus mortales.

CAP. LXI.

An effuso innocentium sanguine licitum sit vexationes & molestias Damonum, quas certis locis afferunt, redimere.

I.  Vinque præcedentibus Capitibus rationes illas discuffimus, quibus frustra contra quorumcumque Spirituum infestationes

infestationes se viuentes muniunt. Præter has aliæ quædam sunt, quibus contra certos, Dæmonum scilicet, vel hominum Spiritus quidam pugnant: quæ & ipsæ vires nullas habent. Has deinceps examinemus. Initium ab iis facimus, quibus contra molestias Dæmonum certatur. Duæ illæ potissimæ sunt. Vnius meminit Tostatus Abulensis; alterius Michael Isselt, de hac primum.

Docet igitur Isselt, quemadmodum primo Capite retulimus, lacum esse in Livonia; qui plurimum molestiis & infestationibus Dæmonum sit expositus; plurimæque ad vicinos populos damna transmittat. *Vt ab his se expediant miseri, singulis annis, in eundem innocentium infundunt sanguinem, & de quiete sunt securi.* Hoc forsitan confirmat, quod historiis proditum est Tamesiam Italiae urbem aliquando à Spiritu, mirum in modum, vexatam esse, vt de illa deserenda aliquoties cogitarint incolæ: eandem verò esse liberatam, postquam, secundum oraculum Apollinis, Virginem Diis immolarunt. Hoc Aelianus lib. 8. de varia Histor. Nunc hic duo, quæ definiamus, præsens argumentum postulat. Alterum est. An innocentium effusus Sanguis, has vires habeat; vt Dæmonum molestias tollat. Alterum, An si alia ratione mortales non valeant, hac se possint ab eorundem molestiis expedire.

Prius illud fortè quis credat, persuasus experientia, qua iam multis annis obseruatum est, ad *infusum innocentium in lacum sanguinem*, omnes Dæmonum infestationes esse sublatas. Verùm quæuis experientia haud leue argumentum suppeditet in iis, quæ ratione atque intelligentia destituta sunt; in ratione tamen vtentibus firmum argumentum præbere non potest, vt ex ipsa de rerum naturis certum atque indubitatum iudicium feramus.

Ea est conditio illorum, qui ratione atque intelligentia polent, vt quamuis à sensibilibus rebus affici quodam modo possint; rebus tamen sensibilibus semper maneant superiores: vt ob id si quid per res sensibiles in iis obseruetur fieri; id non tam sensibilitum virtuti, quàm voluntati eorum, qui ratione vtuntur, sit ascribendum.

Commune rectè philosophantium axioma est, ea quæ inferiorum sunt virium, in res virtute præstantiores posse nihil Quàm verò viribus res corpóreas vniuersas superant Spiritus? Et quorum virtus omni re corporea est superior, rebus corporeis illi poterant cogi, vt vel loca infestare desinant, vel sedes suas mutant?

Quocirca non hæc vis in est effuso innocentium sanguini, vt Spiritus

Bb 3;

coerce;

coerceat. Qui molesti sunt antequam sanguis effunditur; molesti esse possunt effuso sanguine. Sunt sanguinis vires magnæ ad Spiritus animantium in corporibus conseruandis: at effusi, quæ possunt esse ad Dæmonum Spiritus aut locis proscribendos, aut potentiam reprimendam?

7. Et *innocentium* sanguis cur potius has vires hîc habere dicitur, quàm *nocentium*? An inculcata vita vim aliquam sanguini tribuit? & perditorum hominum mores sanguini officiant? vt quod hic non potest, ille possit? Rursus cur hominum potius effuso sanguine tolluntur molestiæ; quàm brutorum animalium.
8. Omnino Dæmonum hæc nequitia est. Nequam, vt grauissimorum criminû miseris mortalibus sint authores, molestias nullas effuso sanguine inferre volunt; quas alioquin possent. Hanc ob causam hominum sanguinem postulant; & hominum innocentium postulant; & contra omnia iura postulant nequissimi.
9. Neque nouum hoc ipsorum est studium. humano sanguine recreantur plurimum sanguinarij, & ab initio mundi homicidæ, Domino teste Ioannis 8. Nonne hoc probant crudelia, quibus mundum propemodum vniuersum dementârunt, sacrificia? ritus impij & barbari? De his in hunc modum Alexander ab Alexandro. *Schitotauri*, inquit lib. 6. Cap. 16. Genialium dierum, pro hostijs *Dianæ aduenas immolabant: Laodicei Palladi Virginem: Arcades Loui Lycæo puerum. Plerique iuxta Borysthenem vecordi animo homines victimas dare, & in sacrificijs Deorum humanis ossibus adolere solebant. Blemmyæ, Cimbri, Galli, Druidæ, & Germani statis diebus, humanis litant hostijs, & cruore captiuorum adolent aras; tunc propitiari Deum maximè arbitrati, cum per cruciatum homines excarnificarent; ex pœnis hominum diuinitatem & auguria captantes. Fuit quæ apud Phœnices & Carthaginenses nimum diu seruatum, vt infantes principali honore insignes sorte ductos, in Regio ornatu Saturno immolarem hostias: Et quem fors morti destinaret, morti subtrahere non licebat, quare multorum ciuium largis fletibus deplorata funera fuere. A quibus sacris dum desuissent, postea victi ab Agathocle, Deos propterea subratos arbitrantes, vt numen placarent, ducentos nobilium filios maclârunt ad aras. A Rhodijs quoque & Creten sibus factitatum comperimus; vt hominem epulis grauatum, ac pueros impuberes festis diebus Saturno maclarent. In Chio & Salamine mos multa secula viguit, vt Diomedes & Dionysio homines discerptos iugularent. Eiusdem Dionysij templum fuit in Arcadia, in quo puella ad aram disflagellabantur ad necem: sicut Sparta in ara Mercurij, & Orthis Diana pueri. Quin etiam alij*

alijs ingenti simulachro viminibus intexto, & viuis hominibus oppleto, ac igne succenso, hominibusque secundum in modum exanimatis, maximum holocaustum offerri putauerunt. Boijs & Celtis purgato captiui hostis capite, caluariam auro celare, & in eo poculo in solennibus libare, religiosissimum erat. Proditur Aristomenes Messenius Ioui, quem Ithometem appellant, trecentos simul homines, in quibus Theopompus fuit, vno sacrificio mactasse: & Lacedaemonios eo vesania processisse, vt Marti humana victima litarent. Galatae & Massagita non aliter Deos ritè consuli arbitrati sunt, quàm iugulato homine apud aras Deorum, ex cuius casu, tum ex membrorum laniatu & fluxu sanguinis futura diuinabant. Cimbri noxios homines seruatos, sudibus affixos, Dijs pro hostijs dabant. Galli praeter Hesium & Theutatem, Mercurium, quos humano cruore placabant, grauioribus morbis, aut periculis affecti, ad placandas Deorum aras, aut homines immolabant, aut se immolatuos vouebant: ad cuius aram etiam grandaeuos atate pro victimis profecabant. Lusitanis vetus mos erat, ex intestinis hominum extra prospicere, atque inde omnia & diuinationes captare, abscissasque captiuorum dextras pro munere Dijs offerre. Thraces Zamolsim, quem maximum Deum putant, non aliter fieri propitium aestimant, quàm si ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam, & Dijs gratissimam victimam opinati. Germani quoque ritu barbarico, Mercurio humano cruore litare religiosissimum putant. Idem fecere Senones, qui, caso publicè homine, infanda sacra statis diebus anni celebrabant, his portentis delicta expiari opinati. Persis quoque ad habendas Dijs gratias viuentes iuuenes, eosque spirantes sub terra defodere assuetum fuit: quem morem Graecis inoleuisse accepimus, vt in anniuersaria celebritate Baccho viuos homines sacrificent, quique ita fuisse immolatus maximam inter suos probitatis laudem ferebat. Longum est exequi, qui Taurorum mores fuerint, vt apud aram hominem sifterent, & post solennes preces hominis caput clauferirent, illudque cruci affigerent: truncumque corpus ex ingenti rupe in praecipitium darent. quod cum Leucadijs commune fuisse traditur, vt in Apollinis sacro, auertenda Deorum irae, hominem de montis specula deicerent, & in mare precipitem agerent. Fuitque apud Albanos vsu patum, vt hominem sacris initiatum, qui sanctitate polleret, diu seruatum & opiparè saginatum apud aras sifterent, eumque furiali carmine excantatum, quibusdam additis precationibus cum alijs hostijs immolarent. Et Romani in foro boario ad placandas Deorum iras, sub terras viuos defodere veriti non fuerunt? licuitque diu in sacris hominem interimere & Dijs immolare, aded vt Saturnum & Latialem Iouem humana placarent hostia: cuius simulachrum, dum sacrificarent, humano sanguine prolucebant. Hæc Alexander. Isdem miseris Satan populum Dei inuoluit olim, de quo Regius Prophe-
ta Psal.

ta Psal. 105. *Commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, et ser-
uauerunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Et immolau-
erunt filios suos, & filias suas Deum. Et effuderunt sanguinem innocen-
tem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt
sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est
in operibus eorum. Quidquod & Christianos quosdam dementauit?
Fuerunt anno Domini 1273. quidam flagellantes dicti, qui non
nisi effuso humano sanguine Deum placari crediderunt & docu-
erunt. Itaque hæc Dæmonis carnificina.*

10. Constitutum igitur hoc sit vim sanguini innocentum illam non inesse; vt Dæmonibus vel silentium imponat, vel necessitatem loco cedendi afferat. Sed si certum sit molestias hac ratione tolli: & non tolli posse alia; licebitne securitatem effuso sanguine mercari, & vexationem redimere?
11. Primùm credi non debet ad eas aliquando angustias Christi-
anum populum venire posse, vt alia, quam hac ratione sibi prouidere
nequeat. Potest oratione ad Deum facta, qua omnia sunt possibilis.
Potest sanctissimæ Crucis signo. Potest exorcismis. Potest aliis,
quas sequentibus capitibus explicabimus, rationibus.
12. Et si alia non posset, hac profectò non debet. Non Dæmonum so-
lùm molestiæ sustinédæ; sed aduersa omnia, ipsa quoq; præsentis-
sima mors adeunda potiùs, quam cum Innocentium sanguinis ef-
fusione Spirituum malignorum vexatio redimenda, & multis
grauibusq; de causis.
13. *Prima sit, quòd nullum amicum obsequium (quemadmo-
dum procul dubio hoc est) Dæmonibus Dei atque hominum ho-
stibus iuratissimis fideles impendere aut possint aut debeant. No-
lo vos socios fieri Dæmoniarum, inquit Apostolus.*
14. *Altera est; quòd sine superstitionis crimine hæc non peragatur:
in eaque interueniat, si non expressum, profectò tacitum cum Dæ-
monibus pactum; quod ipsum quoque diuinis & humanis legibus
Christiano populo seuerissimè interdictum est. Et quis consensit
templo Dei, cum idolis? 2. Corinth. 6.*
15. *Tertia est, quòd grauissimum hic Innocentium homicidium
committatur: quod nec priuata cuiusquam, nec publica Magistra-
tus vllius auctoritate aut præcipi potest, aut probari. Insonem & in-
suum non occidas, dicitur Exod. 23.*